

tri, tamen ex ipso sequitur, eos etiam teneri; quod probatur.

297. *Probatur satis clare.* — Quodcumque subditi possunt occultam aliquod peccatum praelato ut patri, seu paterne denuntiare, tenentur etiam facere, si praelatus id praecepit, ut cum communi aliorum docet Layman, loc. cit., n. 8, sed subditi quodlibet, ac quantumvis etiam occultum peccatum possunt manifestare superiori ut patri juxta dicta num. praeced., ergo id facere tenentur, si praelatus praecepit; atqui in visitatione ordinaria superior semper, et quidem in virtute obedientiae praecepit, ut eidem omnia delicta manifestentur; ergo. Confirmatur conclusio etiam ex dictis § II, n. 79.

298. Probatur ulterius ex natura visitationis ordinariae: quia haec praecipue est instituta, ut illa mediante, secretae et occultae transgressiones, defectus ac delicta superiori ut patri patefiant; quatenus dein contra illa competens remedium per correctionem privatam, aut medicinalem poenitentiam, aliove modo paterne disponere valeat; ut bene advertit Ludovicus de Ameno, loc. cit., n. 5.

299. *Solvitur objectio. Peccata occulta sub sigillo et secreto naturali cognita, institutione ordinaria manifestari non debent.* — Nec obstat quoad ordinem nostrum, quod in praxi nostri criminali saepius dicatur in inquisitione generali (qualis est visitatio) manifestari non debere delicta occulta. Resp. enim cum Ludovico de Ameno, praxin illam vel loqui de inquisitione judiciali, vel de occultis notis praecise per sigillum confessionis, aut naturale; unde etiam in conclusione n. 296, posita additum est: « dummodo sciuntur extra sigillum confessionis, aut naturale; » quali secreto sciunt delictum illi, quibus id delinquens revelavit per modum consilii, vel auxilii; vel cum obligatione de servando secreto, ut bene docet Pellizz., in *Manual. Regular.*, p. 1, tr. IX, cap. iv, sect. 1, n. 21; Palao, loc. cit., punc. 14, n. 4, cum communi aliorum docentium, peccata sub secreto naturali cognita, nec debere, nec posse manifestari (nisi in praerudicium tertii vergerent) alias miseri arcerentur a petendo consilio.

300. *Delicta quavis sine monitione aut correctione delinquentis praevia manifestari possunt visitatori.* — Resp. III. Ad hoc, ut delicta etiam occultissima solique peccanti notiva, in visitatione ordinaria denuntiari, seu manifestari possint ac debeant, non praere-

quiritur monitio seu correctio fraterna, seu evangelica; praesertim in ordine nostro. Patet haec conclusio ex dictis § II, n. 70 et 71.

301. *Delicta etiam gravia occulta, in visitatione, cognita potest visitator uni, vel pluribus, consilii causa revelare.* — Queritur IV. An, et quomodo possit superior delicta occulta per visitationem paternam cognita manifestare? Quomodo item contra delinquentem procedere, et punire illum possit ratione delictorum in visitatione cognitorum? Resp. I. Quamvis visitator gravia delicta per visitationem paternam cognita, publice in capitulo cuivis pro libitu manifestare sine peccato non possit, potest tamen ea revelare uni, vel pluribus pro consilio, et cum eisdem de illis disserere pro remedio adhibendo, si ita necessarium, aut expediens esse judicaverit. Pellizz., in *Manual. Regular.*, p. 1, tr. IX, cap. iv, sect. 1, n. 17; Palao, *de Charit.*, tr. VI, disp. 3, punc. 11, n. 5, citans Torres. 2, 2, q. 33, disp. 89, dub. 4. Ratio est, quia tali manifestatione intenditur utilitas delinquentis, quae praeferrri debet levi illius detrimento famae, praesertim cum etiam illi, cum quibus visitator consilii causa disserit, ad idem cum visitatore teneantur secretum.

302. *Et potest ob illa delinquentem a loco amovere, et alia facere, quae ad avertenda conducunt.* — Resp. II. Potest, imo tenetur subinde superior visitans ob delicta per visitationem paternam cognita a loco remove, et superiori locali alterius conventus, aut monasterii oretenus, vel etiam per litteras revelare, ad hoc, ut eidem invigilare queat. Item potest ei certas domos, aut loca, vel societatem prohibere: potest item eidem fidelem socium assignare, socioque mandare, ut observet illum. Item potest alia remedia eidem praescribere, prout nempe in Domino necessarium, vel expediens pro emendatione delinquentis judicaverit: dummodo in his omnibus ita prudenter agat, et caveat superior visitans, ne ulterius diffametur delinquens: ob quod etiam illos, quibus delictum occultum ex praefata causa manifestat, de obligatione secreti monere debet; nisi ipsimet obligationis suae satis ignari supponantur. Palao, loc. cit., num. 2; Pellizz., loc. cit., a num. 34; Bannez, Torres, et alii. Ratio est, quia visitatio etiam paternam non tantum instituitur, ut delicta et delinquentes cognoscantur, sed etiam, ut remedia ad emendationem necessaria, aut utilia (qualia saepe sunt me-

morata) adhibeantur; cum finis sine mediis non obtineatur, indeque qui efficace vult, vel intendit finem, debeat quoque velle, adhibere, sustinere media, arg. l. *Nam ut ait.* 43. ff. *de Legib.* ibi: « Quoties lege aliquid, unum, vel alterum introductum est, bona occasio est, caetera, quae tendunt ad eandem utilitatem vel interpretationem, vel certe jurisdictionem suppleri. »

303. *Non tamen potest propterea publice illum punire et corrigere, bene vero occulte, adhibitis etiam uno vel altero teste.* — Resp. III. Si delictum in paterna visitatione cognitum, est grave et occultum, ita ut probari nequeat, non potest illud visitator publice, bene vero occulte punire, imponendo delinquenti aliquam proportionatam poenitentiam in secreto peragendam, v. g. jejunium, flagellationem, etc. Item potest ipsum in secreto gravissime objurgare, corripere, minis terere sub excommunicatione aliquid prohibere; idque etiam adhibitis duobus, vel tribus, ad magis confundendum, et commovendum, si ita expediens judicaverit; dummodo de delicto moraliter certo constet, v. g. per testem omni exceptione majorem, de quo prorsus nulla falsae depositionis potest esse suspicio. Palao, loc. cit., n. 10; Pellizz., loc. cit., n. 34 et seqq. Ratio est, quae in priori conclusione. Cui accedit, quod omnia non excedant limites correctionis paternae, et potestatem superioris, tanquam in filios; cum haec omnia non vindictam publicam, sed meram emendationem delinquentis, consequenter munus paternum sapiant: et alias semiplena probatio sufficiat ad memorata praestanda, ut cum aliis Suarez apud Palao, loc. cit.

304. *Contra delinquentem, vi solius visitationis ordinariae nullum potest instituere processum criminales visitator.* — Queritur V. An? quando? et quomodo? Superior visitans, ex notitia per visitationem ordinariam acquisita devenire possit ad inquisitionem judicialem, praesertim specialem? Resp. I. Superior nullum potest judicialiter tractare, condemnare, aut punire ob peccata per solam visitationem ordinariam cognita. Unanimis et certa. Ratio est, quia visitatio ordinaria non est inquisitio judicialis, sed paternam, nec eidem uti iudici, sed tanquam patri (nisi denuntians aliud exprimat) delicta denuntiantur, et denuntiata censentur, juxta dicta supra num. 283, consequenter vi illius judicialiter contra delinquentem procedere nequit.

305. *Bene tamen occasione illius subinde non tantum potest, et debet processum instituere veluti I, si in visitatione ordinaria proponitur peccatum notorium.* — Resp. II. Potest nihilominus superior occasione visitationis ordinariae, subinde inquisitionem judicialem instituere, ac processum criminalem facere contra delinquentes. Patet inductione. Sic enim I. Quando delictum quod ei in visitatione denuntiat, jam est notorium, potest, et ad advertendum scandalum pro terrore, et exemplo aliorum debet instituere inquisitionem judicialem; idque ex officio, et modo supra § 2, num. 73, allegato; non obstante protestatione unius, vel alterius denuntiantis; quia tunc superior procedit non vi depositionis ab eis paterne solummodo factae, sed vi notorii occasione denuntiationis paternae cogniti. Id ipsum habetur etiam in *Pract. nostra criminali*, tit. XI, §. *Inquisitio*, § 7.

306. *II. Si jam existit fama de delicto.* — II. Si ex visitatione ordinaria deprehendit, existere jam communem famam; ut si plures de aliquo delicto denuntiant; vel dicitur ejusdem extare jam famam rursus ex officio inquirere potest, et debet, arg. c. *Qualiter*, 24, h. t. ibi: « Quasi denuntiante fama, aut deferente clamore. » Quid autem sit fama, et quomodo probetur, habes lib. II, tit. XX, *de Testib.*, § 12. Hic solum notandum cum Ludovico de Ameno, ad hoc ut visitator contra famosum delictum ex officio judicialiter procedere valeat, non requiri, ut de illo in publico fiat sermo sed sufficere etiam, si de illo opinio sit apud majorem partem populi, vel communitatis; quia saepe contingit, quod de delicto quodam ad timorem peccantis, vel ei adhærentium nemo publice loqui audeat, licet apud majorem partem communitatis jam sit opinio et aestimatio, atque de illo in secreto plures loquantur, prout contingit tempore Christi, cap. vii, *Joannis* ibi: « Nemo palam loquebatur de illo ob metum Judaeorum. »

307. *III. Si quis in visitatione ordinaria judicialiter denuntiat aliquod delictum.* — III. Si sua sponte quis in visitatione ordinaria judicialiter denuntiat, juxta dicta supra § 2, num. 123, prout saepe fieri potest, et debet per dicta supra § 2, a num. 106.

308. *IV. Etiamsi jussus a visitatore id faciat.* — IV. Si subditus facta denuntiatione paternam ad superioris adhortationem, vel mandatum judicialiter denuntiat, prout supe-

rior adhortari ac jubere potest, ac sæpe etiam debet, casu, quo subditus judicialiter denunciare tenetur, ut si delictum vergit in damnum commonitatis, vel tertii, certitudine morali non existente, quod per denuntiationem paternam satisfiat: vel si quidem delictum soli delinquenti nocet, ob rationes tamen, vel circumstantias expedit, ut judicialiter puniatur: quando enim subditus tenetur judicialiter denunciare, utique superior illum suæ obligationis monere potest, et ratione officii debet, teneturque subditus superiori monenti, aut præcipienti morem gerere.

309. V. *In visitatione ordinaria manifestantur delicta excepta. Crimina excepta, quæ?* — V. Si in visitatione ordinaria eidem etiam paterne tantum denuntiantur crimina excepta, vel publica, prout publicum, opponitur privato, quæ videlicet in publicum detrimentum vergunt, qualia sunt 1. Hæresis. 2. Crimen læsæ majestatis. 3. Blasphemia. 4. Crimen sacrilegii, ut sortilegia, et profanationes sacrorum. 5. Latrocinium, et grassationes viarum publicarum. 6. Crimen assassinii. 7. Crimen falsæ monetæ. 8. Simonia, prout amplius probavimus ex jure, lib. II, t. XVIII, a num. 99, et expresse statutum etiam habetur in *Practica nostra Criminal.*, tit. IX, §. Denuntiatio., § 2, et tit. XI, §. Inquisitio, § 7, contra hæc igitur excepta, vel publica per visitationem paternam cognita vitia, judicialiter procedere potest, inquirendo ex officio, etsi nulla infamia, nec denuntiatio, aut accusatio judicialis præcedat, juxta dicta supra § 3, num. 189. Quomodo autem id facere debeat, dicitur infra.

Porro in dicta nostra practica criminali pro ordine nostro seraphico, inter crimina excepta, et publica insuper numerantur conspiratio in generalem, vel provincialem, vel eorum commissarios, aut etiam in superiores locales: eorum item homicidia, vulnerationes, vel percussiones: item subornationes in electionibus, et merito; quia revera singula hæc in damnum commune religionis cedunt. Item peccatis exceptis annumerantur sodomia, et sacrilegium cum monacha. Item fornicationes, et adulteria, casu quo periculum sit, aliquod ex ultimis his duobus delictis publicari posse; siquidem etiam fornicationes simplices, et a fortiori adulteria, si innotescant, a religioso perpetrata, mirum in modum confundunt, et diffamant religionem, eique nocent; conse-

quenter, ubi periculum publicationis eorum est, publicis, et exceptis merito annumerantur: secus si penitus nullum periculum publicationis illorum subsit; tunc enim inter delicta privata reputantur loc. cit., §. Denuntiatio, § 2, ubi licet etiam de sodomia pariter discurratur, tamen tit. XI, §. Inquisitio, § 7, exceptis absolute annumerantur, ad hoc, ita ut contra reos illius sine omni infamia, ac sine denuntiatione, aut accusatione specialem inquisitionem instituere possit superior.

310. VI. *Si adsunt sufficientia indicia criminis ab aliquo commissi.* — VI. Si adsunt sufficientia judicia contra aliquem criminis ab eo commissi juxta dicta num. 185.

311. VII. *Si delictum pergit in damnum tertii, vel communitatis.* — VII. Si delictum vergit in damnum, vel præjudicium communitatis, vel tertii juxta dicta num. 109 et 189.

312. VIII. *Si delinquens apprehenditur in flagranti.* — VIII. Si delinquens apprehenditur in flagranti, per dicenda infra a num. 560.

Ex quibus patet, quod superior persæpe possit, ac sæpe etiam debeat instituere processum criminalem occasione visitationis ordinariæ.

§ VII.

DE PROCESSU CRIMINALI REGULARIUM, SIMULQUE DE ORDINE, ET PRAXI EJUSDEM; PRÆSERTIM IN RELIGIONE NOSTRA SERAPHICA.

313. *In processu criminali regularium non omnia servantur, quæ in processu aliorum.* — Quæritur I. An ordo et ea cuncta, quæ in jure communi de processu criminali, ac pertinentibus ad eum statuta sunt, servari etiam debeant in processu criminali regularium? Resp. Negative. Communis et certa, arg. c. *Qualiter et quando*, 24, § fin., h. t. ibi: « Hunc tamen ordinem circa regulares personas non credimus usquequaque servandum. » juncto c. *Olim*, 26. Eod.

314. I. *Est enim tantum processus summarius.* — Quæritur II. Quænam processus criminalis regularium specialia habeat? Et quæ in illo omitti, aut necessario observari debeant? Resp. I. Processus criminalis regularium plura habet specialia, pluraque in eo omitti possunt. Nam primo is non ordi-

narius, sed tantum summarius est, in eoque non nisi simpliciter, et de plano proceditur, c. *Olim*, 26, h. t., ubi mandat Papa, ut procedatur de plano, et absque judiciorum strepitu. Ratio ibidem subjungitur illis verbis: « Cum talibus non deceat servos Dei involvi. »

315. II. *Non necessario observantur apices juris.* — Et ideo secundo non sunt necessario observanda, sed omitti possunt apices, solemnitates, et rimuli juris: Cujusmodi sunt citatio rei, de non feriatâ, libelli porrectio in scriptis, litis contestatio, testium multitudo, prolixæ dilationes, sententiæ sedendo prolato, citationum intervalla, interlocutoria, etc., prout bene refert practica nostra criminalis tit. VII, quam formam juris, § 2, et patet ex *Clem. sæpe contingit.*, de *Verb. signif.*, uti Papa declarat, quod quando summarie seu simpliciter, et de plano proceditur, hæc necessario servari non debeant.

316. III. *Prælati regulares facilius amoventur.* — Tertio. Quod prælati regulares facilius, quam prælati sæculares amoveri possint a suis administrationibus, levioresque ad id causæ, ac probationes sufficient, arg. cit. c. *Qualiter, et quando*, 24, § fin. h. t. ibi: « Quæ (personæ regulares) cum causa requirit, et liberius a suis possint administrantibus amoveri. »

317. IV. *In illo non communicantur nomina testium: et quid apud nos de hoc?* — Quarto. Juxta communem doctorum uti videre est apud Engel, h. t., num. 27, etiam illud speciale habet processus regularis, quod depositiones quidem, non vero nomina testium reo communicari possint, ac debeant: idque probare nituntur ex c. *Qualiter et quando*, 24, h. t., ubi licet præceptum sit: « Non solum dicta sed etiam nomina testium sunt ei (reo videlicet) ut quid, et a quo sit dictum, appareat publicanda, » tamen ad finem additur clausula limitans supra jam allegata: « Hæc tamen ordinem circa personas regulares, non credimus usquequaque servandum. » Rationem dant; quia si nomina testium publicarentur, periculum esset discordiæ, inimicitiae, et aversionis animorum, quæ apud regulares ut octo vitandæ sunt. Verum hæc quantumvis communis doctrina non videtur vera, utpote necessariæ defensionis rei jure naturali debitæ contraria, prout solide demonstrat Ludovicus de Ameno a numer. 36, ubi e contra absolute docet, etiam in processu regularium tam

nomina, quam dicta seu depositiones testium esse communicanda reo. Cui tamen absolute adhærere etiam non possumus, sed media via, et tam naturali quam positivo communi, et municipali juri conformiter in hoc puncto incedemus juxta dicenda infra a num. 321.

318. V. *Potest formari juxta statuta, et consuetudinem cujusvis ordinis.* — Quinto. Illud etiam speciale habet processus regularis, quod formari valeat juxta rationabiles consuetudines, et statuta generalia cujusvis ordinis, prout a Bonifacio VIII, Dominicanis et per consequens etiam aliis communicationem privilegiorum habentibus concessum fuit in constitutione, ad augmentum, quæ est quarta dicti pontificis in 1 tom. Bull., ibi: « Ad correctiones et punitiones fratrum rimulis, et apicibus juris postpositis, libere procedere valeant secundum consuetudines approbatas, et generalia facta, vel etiam facienda ipsius ordinis statuta. »

319. *Tenantur nihilominus regulares in processu criminali observare essentialia juris, et quæ ad defensionem ac probationem faciunt.* — Resp. II. Quamvis juxta dicta regulares in formandis suis processibus criminalibus non teneantur ad apices et solemnitates juris, possintque excluso ordinario processu summarie ac de plano procedere, tenentur nihilominus ad essentialia juris, et ad ea quæ ad probationem, vel defensionem requiruntur aut faciunt, ac quæ sunt de substantia processus summarii. Communis ac certa. Ratio est; quia regulares in puncto processus non omnino seu totaliter, sed aliquantum solummodo eximuntur a jure communi, in tantum nempe, in quantum non usquequaque tenentur ad processum ordinarium, juxta solemnitates et apices juris, sed possint procedere summarie, seu de plano et simpliciter, arg. cit. c. *Qualiter, et quando*, h. t., et c. *Olim*. eod. atqui etiam ad processum summarium, in quo de plano ac simpliciter proceditur, requiruntur essentialia juris, debentque necessario servari illa omnia, quæ ad probationem, vel defensionem requiruntur, aut faciunt, arg. *Clem. sæpe contingit. de Verb. signif.* ubi Papa postquam declaravit, quid sit de plano procedere, et quæ in tali processu possint omitti, explicavit, statim subjunxit: « Non sic tamen iudex abbreviet, quin probationes necessariæ, et defensiones admittantur. Citationem vero, et præstationem juramenti de calumnia vel